



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Corona Sacratissimorum Jesu [Iesu] Christi Vulnerum**

**Wael Van Vronesteyn, Willem de**

**Antverpiæ, 1649**

Arma animarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49125)



**A**D vulnus pedis dexteri, cum vero emendationis proposito, Deum orabimus, ut nos à peccatorum periculis liberet; contra tentationes, vires, & opem tribuat, atque in virtutum & bonorum operum studio, desideria nostra augeat.

### CONSIDERATIO I.

*Vulnera Christi*

*Arma animarum.*

1. Reg. 17.  
v. 40. **D**AVID filius Isai ovium pastor, in arenam contra Goliathum, singulari

gulari certamine ingressurus, non aliis armis, quàm fundâ, baculo, & quinque limpidissimis lapidibus usus est, quos de torrente legerat, & miserat in peram suam pastoralem.

Philo Iudæus, ait, lapidibus hisce in-  
sculpsisse Davidem nomina celeberrimorū Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Iacobi, & Moyſis, quinto verò nomen Iosue Iudicis, ac ducis populi Israël, qui re, ac nomine Dominum Iesum referebat.

*In antiq.  
Iuda.*

Prodit itaque ad certamen Goliathus, obviam illi procedit David, qui quinto lapide, Iosue, hoc est, Iesu nomine insignito, oneratam atque armatam fundam circumagens, lapidem illum in Gigantis frontem impegit, eumque prostravit, & turri illi carneæ ense suo à cervice caput avulſit.

Habet & homo hostem suum, quem Behemot, seu Leviathan Iob appellat, *c. 40. v. 10.*  
cujus ferocia tanta est, ut comedat sicut paleas ferrum. Nonne militia, cum eodem Iobo, rogat Augustinus, *Lib. 10. Conf. c. 28.*  
*est vita hominis  
super terram? Cui enim non est necesse ren-  
tatio-*

tationes, & molestias pati? Tolerari eas jubes Domine, non amari, nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amat: quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse, quod toleret. Heu mihi Domine, miserere mei. Ita Augustinus.

Contra hunc hostem animos nobis  
*Ephes. c. 6. v. 11.* addit Apostolus, cum ait, Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Verum quæ hæc armatura Dei? non alia sanè, quàm Davidis baculus, Crux scilicet Christi; ejusdem funda, intellectus noster; lapides quinq; limpidissimi, cruenta quinque Salvatoris vulnera, nomine Domini Iesu insignita; quæ consideratione piâ, atque attentâ quasi fundâ circumactâ, vi, atque impetu motæ voluntatis hostem nostrum prosternent; ad quem insultando Augustinus; Percussisti, vulnerasti, dejecisti. sed vulneratus est pro me, qui fecit me, & de morte sua vicit te. Deinde Christianorum Athletarum ad certamen erigens animos; Quid vultis, inquit, ô Sancti, ô boni præliatores, ô fortes milites Christi! quid vultis? ut non sint omnino  
 concu-

*Serm. 43.  
 de verb.  
 Dom.*

concupiscentiæ malæ? sed non potestis. Exercete bellum, sperate triumphum. Armate vos, sumite instrumenta bellorum. Præcepta Dei (præcepta amoris, vulnera, inquam, Salvatoris) arma vestra sint. Hæc Augustinus. His veluti totidem clypeis anima mea hostem tuum aggredere, illa veluti totidem æneas balistas Domini Iesu meritis oneratas, divini amoris igne accende, atque in eum exonera, & de victoria secura es.

Antiochus, qui ΣΩΤΗΡ, seu Salvator Io. Pier. 7  
 cognomento dictus est, cùm adversus Valer. in  
 Galatas pugnaret, nec satis ex senten- Apend.  
 tia res succederet, essetque in discrimi- Hierogl.  
 mine; ut militum animos in spem erige- l. 11.  
 ret, aiebat per quietem vidisse se, vel se  
 vidisse simulabat, Alexandrū Magnū,  
 se monentem ut salutis, ac victoriæ  
 symbolum assumeret, idque pro tessera  
 Tribunis daret. Symbolum autem illi  
 huiusmodi ostendisse, triangulum tri-  
 plicem invicem insertum, ex lineis &  
 angulis quinque constantem, in qui-  
 bus ΤΡΕΙΑ, id est, salus scriptum erat  
 ut subjecta hæc figura ostendit.

Fabulas



Fabulas hasce atque nugas, vana, ac profana Gentilium superstitio fingebat. Quæ enim in pentagoni tessera salus, seu victoria inesse potuit? aut cur Salvatoris nomen sibi arrogavit Antiochus? Unicus & æternus nobis Salvator est Christus Iesus, qui in bello, quod cum tartareo hoste pro anima gerimus, salutis tessera ac symbolo, sacris scilicet suis quinque vulneribus, divino veluti pentagono, signatis,

tis, certam victoriæ, ac salutis spem pollicetur.

Quantò ergo sanctiùs, quia veriùs & religiosiùs Alphonsus primus Lusitanix Rex, dum cum exercitu suo non copioso, à quinque Maurorum, seu Saracenorum Regibus obsidebatur. Anxio, Deumque tota nocte deprecanti, apparet Salvator madentibus recenti sanguine vulneribus, illum cohortans, ut copiis suis, licet exiguis, hostem aggrediatur, auxilium illi de cœlo adfuturum; Rex cœlesti monito erectus, nova, & non visa hætenus arma, clypeum scilicet & labarum scutulis quinque distinctum, quibus quinque Domini vulnera insculpta erant, parat; militem de conspecto à se, illa nocte, crucifixo Domino monitum, in hostem ducit, eumque fundit, quinque Domini vulneribus fortior ac felicior, quàm Mauri illi Reges exercitibus suis quinque instructissimis.

Alphonsum imitati sunt Angli Catholicici, qui sub exordia defectionis Regis sui Henrici VIII. à Catholica fide,

*Vascon. de  
Reg. Lusit.*

*Flor. Raimund. de  
Ortu, &  
Occ. Hares.  
l. 6. c. 4.*

fide, pro Ecclesiæ defensione militum  
 quinquaginta millium Exercitum cō-  
 flarunt, cujus vexilla omnia, quinque  
 Salvatoris vulneribus insignita erant;  
 in horum medio posito calice, qui  
 hostiam Iesu nomine conspicuam, ge-  
 stabat. Ita nobis Domini vulneribus  
 ac sacrâ Eucharistiâ, sanctoque Iesu  
 nomine, armis veluti potentissimis,  
 contra animarum nostrarum hostes  
 depugnandum est, neque de victoriâ  
 dubitandum.

*Cosm. Ma-  
 ga: pref. in  
 Josue.*

Vir Princeps ad singulare certamen  
 ab altero provocatus, dolo usus, crystal-  
 linum scutum detexit, idque soli ob-  
 vertens hosti objecit, qui radiorum re-  
 percussu occæcatus, manus dare, & ex  
 arenâ cedere cogebatur. Quot Iesu  
 vulnera, tot nobis sunt clypei, qui ra-  
 diis divinitatis, ac meritorum ejus ocu-  
 los hostis nostri hebetent, eumque no-  
 bis subiiciant. Crucifixus Salvator in-  
 star illius est turris, quæ ad Sionis ar-  
 cem à Davide ædificata est, ex qua mille  
 clypei pendent, omnis armatura fortium.  
 Nam in cruce Dominus, veluti in turri  
 muni-

*Cant. 4.  
 v. 4.*

munitissima, contra hostes animæ nostræ appendit, non mille, sed quinque tantum clypeos, vulnera scilicet sua sacrosancta, clypeis omnibus validiora, ac potentiora, in quibus omnis armatura fortium, Martyrum, Sanctorum, ac fervorum Dei consistit. Non enim clypei solum, sed & tela, & gladii, & hastæ, & lanceæ, omneque armorum genus nobis sunt Domini vulnera, ad vitiorum omnium auctores hostes profligandos.

Quo armorum genere ut utamur, hortatur nos S. Petrus, cum ait, *Christo Ep. I. c. 4.*  
*passo in carne, & vos eadem cogitatione arma-* <sup>v. I.</sup>  
*mini:* in Christo enim passio, ac vulnerato, & cum illo certandum, vincendum, ac triumphandum nobis est. est enim Christi passio, & crux, inquit Cornelius à Lapide in hunc locum, plena armatura, sive Panoplia, quâ debellavit peccatum, mortem, infernum, ac diabolum. unde Doctor Angelicus, ait, *Christum* <sup>D. Thom.</sup>  
*in cruce fuisse instar equitis ar-* <sup>in epist.</sup>  
*mati:* coronam enim spineam illi fuisse <sup>Pet. I. c. 4.</sup>  
*pro galea, cruorem toto corpore perfu-* <sup>v. I.</sup>  
 I sum

sum pro lorica, clavos pro gladio, crucem pro equo; neque lanceam defuisse, ac scutum, sacra quinq; vulnera; atque hâc armaturâ, mundum, carnē, ac dæmonem profligasse. *Christo igitur passo in carne*, anima mea, arma te adversus hostes tuos omnes, ejusdem passionis memoriâ, consideratione, imitatione, invocatione. Iisdem enim armis necesse est uti, & pugnare te, quibus usus est, & pugnavit pro te Christus; qui & tibi paratus est se armigerum præbere.

*Barth. Fl-  
zen. in ejus  
vita 9. Oct.*

Elisabetha Wansia, virgo domo inter Leodienses nobilis, Christi patientis supplicia tâto affectu meditabatur, ut illa numquã de memoria dimitteret; sed neque ipsa à Domino relinquebatur. Totos tres annos quocunq; se illa conferret, ille crucifixus euntem ita comitabatur, ut nunquam abiret à cōspectu; & si quæ fortè impuræ, ac illicitæ cogitationes animum pulsarent, arma illicò expediebat, & revulsam à cruce dexteram pectori Elisabethæ admovebat, hostemque abigebat. Ita  
Christus

Christus suis semper est futurus arma, & armiger, ut si velint, semper vincant, & de adversario suo triumphent.

Ita pugnavit, vicit, ac triumphavit Io. Bolläus & Godofridus Heschenius in M. S.  
B. Christina mirabilis, non illa Leodiensis Hasbana, sed Coloniensis Agrippina, quamvis isti par virtute, opere, dæmonum tentatione, & gratiis à divina manu liberaliter acceptis, æquẽ mirabilis. Huic à Dæmone vix unquam ulla erat requies, modò illi corpus mal-leis, veluti in incude tunde-batur; modò manus ac pedes clavis terræ affigebantur, modò aliis cruciatibus afficiebatur; semper tamen constans Christina non alia arma, non alios defensores, præter Domini vulnera implorabat, quæ, oculis animoq; semper iis intenta, iisdem dimicabat, iisdem vincebat, ac triumphabat.

Ita etiã pugnavit, vicit, ac triumphavit Luc. Wnd. To, 2. Ann. an. Chr. 1261. n. XV.  
Novitius ille miles è Divi Francisci familia, qui Christi in carne passi cogitatione, molestissimam adversus sanctam vocationem suam tentationem

I 2 conaba-

conabatur superare ; hærebat tamen subinde , & hostem veluti auscultans, nutabat. Adest Tyroni suo Dominus, sacris suis quinque vulneribus, recenti sanguine manantibus, conspicuus: obtestatur ne pusillanimitate , & inconstantia suâ , illa renover ; Resumpsit animum Iuvenis , subsidio isto hostem depulit , & in viâ divini servitii deinceps constanter egit.

*Apprehende hæc arma, & scutum ( anima mea ) & exurget Dominus Iesus in adjutorium tibi.*

## CONSIDERATIO II.

### *Vulnera Christi*

### *Lux animarum.*

*Caf. 62.  
v. 1.*

**P**Rænunciavit hoc lumen Isaias, cum ait: *Propter Sion non tacebo; & propter Hierusalem non quiescam; scilicet ejus salutem annuntiare, donec egrediatur, ut splendor, justus ejus, & Salvator ejus, ut lampas, accendatur.*

Docet